

# **Institutions divines**

**Textes du livre I  
Lactance**




Illustration de la page de garde :

Jupiter

[capture d'écran du film **Le Choc des Titans** de Desmond Davis, 1981]

[toutes les photos et les captures d'écran de ce dossier ont été faites par Claude Aubert]

## **Dossier établi par Claude Aubert (2022)**

Les textes et les préparations sont téléchargeables sur le site :  
<https://www.douziemeheure.ch/2/>

### **Table des matières**

<b>Textes</b>	page
Séance 1	3
Séance 2	6
Séance 3	10
Séance 4	14
Séance 5	18
Séance 6	21

### **Vocabulaires** (dans un fascicule séparé)

Séance 1	3
Séance 2	7
Séance 3	10
Séance 4	13
Séance 5	17
Séance 6	21

# Institutiones divines, livre 1

## Lactance

### Textes de la séance 1

#### Les dieux ont été engendrés [I, VIII, 4-8]

[4] Apparet Herculem, Apollinem, **Liberum**, Mercurium Iovemque ipsum cum ceteris homines fuisse, quoniam sunt ex duobus sexibus nati. [5] Quid est autem tam remotum a Deo quam id opus, quod ipse ad propagandam **subolem** mortalibus tribuit et quod sine substantia corporali nullum potest esse ? Dii ergo si sunt immortales et aeterni, quid opus est altero sexu ? - **Nimirum** ut generent. - Ipsa progenie quid opus est, cum successione non egeant, qui semper sunt futuri ? [ 6 ] Nam profecto in hominibus ceterisque animantibus diversitas sexus et coitio et generatio nullam habet aliam rationem nisi ut omnia genera viventium, quando sunt conditione mortalitatis **obitura**, mutua possint successione servari. Deo autem, qui est sempiternus, neque alter sexus neque successio necessaria est. [7] Dicet aliquis : "Ut habeat vel ministros vel in quos ipse possit dominari". Quid igitur opus est sexu feminino, cum Deus, qui est omnipotens, sine usu et opera feminae possit filios procreare ? [8] Nam [...] cur existimet aliquis ipsum Deum nisi ex permixtione sexus alterius non posse generare ? Illos igitur, quos **imperiti** et **insipientes** tanquam deos et **nuncupant** et adorant, nemo est tam **inconsideratus** qui non intellegat fuisse mortales. - "Quomodo ergo, inquiet aliquis, dii crediti sunt ?" - Nimirum quia reges maximi ac potentissimi fuerint : ob merita virtutum suarum aut munerum aut artium repertarum, cum cari fuissent iis quibus imperitaverant, in memoriam sunt consecrati.

## Hercule [I, IX, 1-11]

[1] Hercules, qui ob virtutem clarissimus [...] inter deos habetur, nonne orbem terrae, quem peragrasset ac expurgasset narratur, stupris, libidinibus, adulteriis **inquinavit** ? Nec mirum, cum esset adulterio genitus **Alcmenae**. Quid tandem potuit in eo esse divini, qui suis ipse vitiis **mancipatus** et **mares** et feminas contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio **affecit** ? [2] Sed ne illa quidem, quae magna et mirabilia gessit, talia iudicanda sunt, ut virtutibus divinis tribuenda videantur. Quid enim tam magnificentum, si leonem aprumque superavit, si aves sagittis deiecit, si regium stabulum **egessit**, si virginem vicit **cingulum**que detraxit, si **equos** feroces cum domino interemit ? Opera sunt ista fortis viri, hominis tamen. [3] Illa enim, quae vicit, fragilia et mortalia fuerunt. "Nulla enim est, quod ait **orator**, tanta vis, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit. [4] At animum vincere, iracundiam cohibere" fortissimi est : quae **ille** nec fecit unquam nec potuit. "Haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico."

Vellem adiecisset de libidine, luxuria, cupiditate, insolentia, ut virtutem eius impleret, quem similem Deo iudicabat. [5] Non enim fortior putandus est, qui leonem quam qui violentam in se ipso inclusam feram superat, iracundiam, aut qui rapacissimas volucres deiecit quam qui cupiditates avidissimas coercet, aut qui Amazonem bellatricem quam qui libidinem vincit, pudoris ac famae **debellatricem** ; aut qui **finum** de stabulo quam qui vitia de corde suo egerit, quae magis sunt perniciose quia domestica et propria mala sunt, quam illa, quae et vitari poterant et caveri. [6] Ex quo fit ut ille solus vir fortis debeat iudicari, qui temperans et moderatus et iustus est. Quodsi cogitet aliquis quae sint Dei opera, iam haec omnia quae mirantur homines ineptissimi ridicula iudicabit. Illa enim non divinis virtutibus, quas ignorant, sed infirmitate suarum virium **metiuntur**. [7] Nam illud quidem nemo negabit, Herculem non **Eurystheo** tantum servisse regi, quod **aliquatenus** honestum videri potest, sed etiam impudicae mulieri **Omphalae**, quae illum vestibus suis indutum sedere ad pedes suos iubebat **pensa** facientem. Detestabilis turpitude ! Sed tanti erat voluptas.

[...] [10] Navigavit ergo cum Argonautis, expugnavitque Troiam, iratus **Laomedonti** ob negatam sibi pro filiae salute mercedem. Unde quo tempore fuerit apparet. Idem furore atque insania percitus **uxorem** suam cum liberis **interemit**. [11] Hunc homines deum putant ! Sed **Philocteta** eius haeres non putavit, qui facem supposuit arsure, qui **artus** eius et **nervos** cremari ac **diffluere** vidit, qui ossa eius ac cineres in **Cetaeo monte** sepelivit, pro quo munere sagittas eius accepit.

## Les autres dieux [I, X, 3-14]

[3] Quid Apollo [...] ? Nonne ob amorem quo flagrabat turpissime gregem **pavit alienum** ? Et muros Laomedonti exstruxit mercede **conductus**, quae illi negari potuit impune ? Ab eoque primo rex perfidus quidquid cum diis **pepigisset** didicit **abnegare**. Idem **formosum puerum** et dum amat violavit, et dum ludit occidit.

[4] Homicida **Mars** et per gratiam caedis crimine ab Atheniensibus liberatus, ne videretur nimis ferus et immanis, adulterium cum Venere commisit. [...]

[7] Fur ac **nebulo** Mercurius quid ad famam sui reliquit nisi memoriam fraudum suarum ?

[...] [8] **Liberum** patrem in senatu deorum summae auctoritatis primaeque esse sententiae necesse est, quia praeter Iovem solus omnium triumphavit, exercitum duxit, Indos debellavit. Sed invictus ille Imperator Indicus Maximus ab amore ac libidine turpissime victus est. [9] Delatus enim Cretam cum semiviro comitatu, nactus est **impudicam mulierem** in littore ac fiducia victoriae Indicae vir esse voluit, ne nimium mollis videretur, atque illam patris proditricem, fratris interemptricem, ab alio relictam et repudiatam, in coniugium sibi **vindicavit** et "Liberam" fecit et cum ea pariter ascendit in caelum.

[10] Quid horum omnium pater Iupiter, qui in solemnibus precatione "Optimus Maximus" nominatur ? Nonne a prima sua pueritia impius ac paene parricida deprehenditur, cum patrem regno expulit ac **fugavit** nec expectavit mortem decrepiti senis cupiditate regnandi ? Et cum paternum **solium** per vim, per arma cepisset, bello est a **Titanibus** laccessitus, quod humano generi principium fuit malorum ; quibus victis et pace in perpetuum comparata, reliquam suam vitam in **stupris** adulteriisque consumpsit. [11] Omitto virgines, quas **imminuit**. Id enim tolerabile iudicari solet. **Amphitryonem** ac **Tyndarum praeterire** non possum, quorum domos dedecore atque infamia plenissimas reddidit. [12] Illud vero summae impietatis ac sceleris quod **regium puerum** rapuit ad stuprum. Parum enim videbatur si in expugnanda feminarum pudicitia **maculosus** esset ac turpis, nisi etiam sexui suo iniuriam faceret : hoc est verum adulterium, quod fit contra naturam. [13] Haec qui facit, viderimus an "Maximus", certe "Optimus" non est : quod nomen a corruptoribus, ab adulteris, ab incestis abest, nisi forte nos erramus homines, qui talia facientes sceleratos vocamus ac **perditos**, omnibusque poenis dignissimos iudicamus. [14] Stultus autem **Marcus Tullius**, qui **Gaio Verri** adulteria obiecit : eadem enim Iupiter quem colebat admisit ; qui **Publio Clodio** sororis incestum : at illi "Optimo Maximo" eadem fuit et soror et coniunx.

# Institutions divines, livre 1

## Lactance

### Textes de la séance 2

#### L'unicité divine [I, III, 17-21]

[17] Non vident qui deos multos esse credunt fieri posse ut aliquid diversum velint, ex qua re **disceptatio** inter eos et certamen oriatur : sicut Homerus bellantes inter se deos finxit, cum alii Troiam capi vellent, alii repugnarent. [18] Unius igitur **arbitrio** mundum regi necesse est. Nisi enim singularum partium potestas ad unam providentiam referatur, non poterit summa ipsa **constare**, uno quoque nihil curante amplius quam quod ad eum proprie pertinet, sicut ne res quidem militaris nisi unum habeat ducem atque rectorem. [19] Quodsi in uno exercitu tot fuerint imperatores quot legiones, quot cohortes, quot **cunei**, quot alae, primum nec instrui poterit acies uno quoque periculum **recusante**, nec regi facile aut **temperari**, quod suis propriis consiliis utantur omnes, quorum diversitates plus noceant quam prosint : sic in hoc rerum naturae imperio nisi unus fuerit ad quem totius summae cura referatur, universa **solventur** et corrudent.

[20] Dicere autem multorum arbitrio regi mundum, tale est quale si quis affirmet in uno corpore multas esse mentes, quoniam multa et varia sunt ministeria membrorum ; ut singulos corporis sensus singulae mentes regere credantur, item multi **affectus**, quibus commoveri solemus vel ad iram, vel ad cupiditatem, vel ad laetitiam, vel ad metum, vel ad miserationem, ut in his omnibus totidem mentes putentur **operari**. Quod si quis profecto dicat, ne ipsam quidem, quae una est, habere videatur. [21] Quod si in uno corpore tantarum rerum gubernationem mens una possidet et universis simul **intenta** est, cur aliquis existimet mundum non posse ab uno regi, a pluribus posse ?

## Le Ciel, la Terre et Saturne [I, XI, 50-65]

[50] Veniamus nunc ad **eius** patrem, qui ante regnavit, et qui fortasse plus habebat in se, quod ex coitu tantorum elementorum genitus esse dicatur. Videamus quid in eo fuerit deo dignum. In primis illud quod aureum saeculum narratur habuisse, quod iustitia sub eo fuerit in terra. [51] Teneo aliquid in hoc, quod in eius filio non fuit. Quid enim tam conveniens deo quam iustum **regimen** ac pium saeculum ? [52] Sed cum **eadem ratione** natum esse cogito, non possum putare Deum summum quo videam esse aliquid antiquius, caelum scilicet atque terram. At ego deum quaero ultra quem nihil sit omnino, qui fons et origo sit rerum. Hic sit necesse est qui caelum ipsum condidit terramque fundavit. [53] Saturnus autem si ex his natus est, ut putatur, quemadmodum potest Deus esse principalis qui aliis **ortum** suum debet ? aut quis praefuit mundo priusquam Saturnus gigneretur ? [54] Sed hoc poeticum est, ut dicebam paulo ante, **figmentum**. Nec enim fieri poterat ut elementa insensibilia tantoque intervallo separata in unum coirent ac filium procrearent aut is qui natus esset non potissimum genitoribus similis existeret, sed eam formam gereret quam parentes sui non habebant.

[55] Quaeramus ergo quid veritatis sub hac figura lateat. **Minucius Felix** in eo libro qui **Octavius** inscribitur, sic argumentatus est : "Saturnum, cum fugatus esset a filio in Italiamque venisset, Caeli filium dictum, quod soleamus eos quorum virtutem miremur aut qui repentino advenerint de caelo cecidisse dicere, Terrae autem, quod ignotis parentibus natos "Terrae filios" nominemus." [56] Sunt haec quidem similia veri, non tamen vera, quia constat etiam tunc cum regnaret ita esse habitum. [57] Potuit sic argumentari, Saturnum, cum potentissimus rex esset, ad retinendam parentum suorum memoriam, nomina eorum caelo terraeque **indidisse**, cum haec prius aliis vocabulis appellarentur : qua ratione et montibus et fluminibus nomina scimus imposita. [58] Neque enim, cum dicunt poetae de progenie **Atlantis** aut **Inachi** fluminis, id potissimum dicunt homines ex rebus sensu carentibus potuisse generari, sed eos utique significant qui nati sunt ex his hominibus qui vel vivi vel mortui nomina montibus aut fluminibus indiderunt. [59] Nam id apud veteres maximeque Graecos fuit usitatum. Sic maria eorum traxisse nomina accepimus qui deciderant in ea ut **Aegeum**, **Icarium**, **Hellesponticum**, et in Latio **Aventinus** vocabulum monti dedit in quo sepultus est, **Tiberinus** vel Tiberis amni in quo mersus est. [60] Non ergo mirandum si nomina eorum caelo terraeque attributa essent qui reges genuerant potentissimos. [61] Apparet ergo non ex caelo natum esse, quod fieri non potest, sed ex eo homine, cui nomen Urano fuit.

[62] [...] Qui quomodo potuerit argumentari, ostendi. Nunc dicam quomodo, ubi, a quo sit hoc factum : non enim Saturnus hoc, sed Iuppiter fecit. [63] In *Sacra Historia* sic Ennius tradit : "Deinde Pan eum deducit in montem, qui vocatur Caeli Stella. Postquam eo ascendit, contemplatus est late terras ibique eo in monte aram creat Caelo, primusque in ea ara Iupiter sacrificavit. In eo loco suspexit in caelum quod nunc nos nominamus, eique quod supra mundum erat, quod aether vocabatur, de sui avi nomine Caelum nomen indidit, idque Iuppiter quod aether vocatur placans primus Caelum nominavit eamque hostiam quam ibi sacrificavit totam **adolevit**." Nec hic tantum sacrificasse Iuppiter invenitur. [64] **Caesar** quoque in *Arato* refert **Aglaosthenem** dicere, "Iovem cum ex insula Naxo adversus Titanas proficisceretur et sacrificium faceret in litore, aquilam ei in auspiciu advolasse, quam victor bono **omine** acceptam **tutelae** suae **subiugarit**." [65] *Sacra vero Historia* etiam "ante consedisse illi aquilam in capite atque ei regnum **portendisse**" testatur. Cui ergo sacrificare Iuppiter potuit nisi Caelo avo ?



L'aigle de Jupiter enlève Ganymède ( mosaïque de Sousse/musée du Bardo/Tunisie)



## Saturne le châtreur [I, XII, 1-10]

[1] Quoniam revelavimus mysteria poetarum ac Saturni parentes invenimus, ad virtutes eius et facta redeamus. "Iustus in regno fuit". [2] Primum ex hoc ipso iam Deus non "est" quod "fuit" ; deinde, quod ne "iustus" quidem fuit, sed impius, non modo in filios, quos necavit, verum etiam in patrem, cuius dicitur abscidisse **genitalia**, quod forsitan vere acciderit. [3] Sed homines respectu elementi quod dicitur caelum totam fabulam **explodunt** tamquam ineptissime fictam, quam tamen Stoici, ut solent, ad rationem physicam conantur traducere. Quorum sententiam Cicero, *De Natura Deorum* disserens, posuit : [4] "Caelestem, inquit, altissimam aetheriamque naturam, id est igneam, quae per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quae coniunctione alterius egeret ad procreandum."

Quae ratio in Vestam potuit convenire, si mas diceretur. [5] Idcirco enim virginem putant **Vestam**, quia ignis inviolabile sit elementum nihilque nasci possit ex eo, quippe qui omnia quae **arripuerit** absumat. [6] Ovidius in *Fastis* :

Nec tu aliud Vestam quam vivam intellege flammam,  
Nataque de flamma corpora nulla vides.  
Iure igitur virgo est, quae semina nulla remittit,  
Nec capit, et comites virginitatis amat.

[7] Vulcano quoque id potuit adscribi, qui deus putatur ignis, et tamen eum poetae non **absciderunt**. Potuit et Soli, in quo est natura et causa **gignentium**. Nam sine Solis igneo calore neque nasci quidquam neque augeri potest, ut nulli alii elemento magis opus sit genitalibus quam calori, cuius **fotu** concipiuntur, nascuntur, sustentantur omnia. [8] Postremo etiamsi ita sit ut volunt, **qui** magis abscissum esse Caelum putemus quam omnino sine genitalibus natum ? Nam si per se gignit, non indigebat utique genitalibus, cum Saturnum ipsum procrearet : si vero habuit et a filio abscissa sunt, **ortus** rerum et natura omnis interisset.

[9] Quid quod ipsi Saturno non divinum modo sensum, sed humanum quoque adimunt, cum affirmant "eum esse Saturnum, qui cursum et conversionem spatiorum et temporum continet eumque Graece id ipsum nomen habere. Κρόνος enim dicitur, qui est idem χρόνος, id est spatium temporis ; Saturnus autem est appellatus, quod saturatur annis."

[10] Haec **Ciceronis verba** sunt exponentis sententiam stoicorum. Quae quam vana sit, cuivis intellegere promptissimum est. Si enim Saturnus Caeli est filius, quomodo potuit aut tempus a Caelo gigni aut Caelum a tempore abscidi aut postea tempus imperio spoliari a filio Iove ? Aut quomodo Iupiter natus est ex tempore ? Aut quibus annis saturari possit aeternitas, cui nullus est finis ?“

# Institutions divines, livre 1

## Lactance

### Textes de la séance 3

#### Difficultés familiales de Saturne [I, XIV, 1-12]

[1] Nunc, quoniam ab iis quae rettuli aliquantulum *Sacra Historia* dissentit, aperiamus ea quae veris litteris continentur, ne poetarum ineptias in accusandis religionibus sequi ac probare videamur.

[2] Haec Ennii verba sunt : ”**Exin** Saturnus uxorem duxit **Opem**. Titan, qui maior natus erat, postulat ut ipse regnaret. Ibi Vesta mater eorum et sorores Ceres atque Ops suadent Saturno uti de regno ne concedat fratri. [3] Ibi Titan, qui facie **deterior** esset quam Saturnus, **idcirco** et **quod** videbat matrem atque sorores suas operam dare ut Saturnus regnaret, concessit ei ut is regnaret. Itaque **pactus est** cum Saturno uti, si quid liberum virilis sexus ei natus esset, ne educaret. Id eius rei causa fecit uti ad suos **gnatos** regnum rediret. [4] Tum Saturno filius qui primus natus est, eum necaverunt. Deinde posterius nati sunt gemini, Iuppiter atque Iuno. Tum Iunonem Saturno in conspectum dedere atque Iovem clam abscondunt dantque eum Vestae educandum celantes Saturnum. [5] Item Neptunum clam Saturno Ops parit eumque clanculum abscondit. Ad eundem modum tertio partu Ops parit geminos, Plutonem et Glaucam (Pluto Latine est Diespiter, alii Orcum vocant). Ibi filiam Glaucam Saturno ostendunt, at filium Plutonem celant atque abscondunt. Deinde Glauca parva emoritur. [6] Haec, ut scripta sunt, Iovis fratrumque eius **stirps** atque **cognatio** : in hunc modum nobis ex sacra scriptione tradita est”. [7] Item paulo post haec infert : ”Deinde Titan, postquam rescivit Saturno filios procreatos atque educatos esse clam se, **seducit** secum filios suos qui Titani vocantur, fratremque suum Saturnum atque Opem comprehendit eosque muro circumegit et **custodiam** his apponit.”

[...] [9] Liberatur ergo Iuppiter summi sceleris crimine, quod patrem vinxisse **compedibus perhibetur**. Id enim Titan **patruus** fecit quod ille contra pactionem iusque iurandum mares liberos **sustulisset**.

[10] Reliqua *Historia* sic **contextitur**: "Iovem adultum, cum audisset patrem atque matrem custodiis **circumsaeptos** atque in vincula coniectos, venisse cum magna Cretensium multitudine Titanumque ac filios eius pugnando vicisse, parentes vinculis **exemisse**, patri regnum reddidisse, atque ita in Cretam **remeasse**. [11] Post haec deinde Saturno **sortem** datam, ut caveret ne filius eum regno expelleret ; illum **elevandae** sortis atque effugiendi periculi **gratia** insidiatum Iovi ut eum necaret ; Iovem cognitis insidiis regnum sibi **denuo vindicasse** ac fugasse Saturnum. [12] Qui, cum **iactatus** esset per omnes terras persequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum vel necandum Iupiter miserat, vix in Italia locum in quo lateret invenit."

### **Dieux de pères en fils** [I, XV, 1-14]

[1] Quibus ex rebus cum **constet** illos homines fuisse, non est obscurum qua ratione dii coeperint nominari. [2] Si enim nulli reges ante Saturnum vel Uranum fuerunt propter hominum raritatem, qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant, non est dubium quin illis temporibus homines regem ipsum totamque gentem **mactare** summis laudibus ac novis honoribus coeperint, ut etiam deos appellarent, sive ob miraculum virtutis - hoc vere putabant rudes adhuc et simplices – sive, ut fieri solet, in adulationem praesentis potentiae, sive ob beneficia quibus erant ad humanitatem **compositi**. [3] Deinde ipsi reges cum cari fuissent iis quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. [4] Itaque homines eorum **simulacra** finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione **solacium**, progressique longius per amorem memoriam defunctorum **colere** coeperunt, ut et gratiam referre bene meritis viderentur et successores eorum **adlicerent** ad bene imperandi cupiditatem.

[5] Quod Cicero *De Natura Deorum* docet, dicens: "Suscepit autem vita hominum **consuetudo**que communis ut beneficiis excellentes viros in caelum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber." [6] Et alio loco: "Atque in plerisque civitatibus intellegi potest **acuendae** virtutis gratia aut quo

libentius reipublicae causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam.” Hac scilicet ratione Romani Caesares suos consecraverunt et Mauri reges suos. [7] Sic paulatim religiones esse coeperunt, dum illi primi qui eos noverant eo ritu suos liberos ac **nepotes**, deinde omnes posteros **imbuerunt**. Et hi tamen summi reges ob celebritatem nominis in provinciis omnibus colebantur.

[8] **Privatim** vero singuli populi gentis aut urbis suae conditores, seu viri fortitudine insignes erant seu feminae castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt : [...] [9] Athenae Minervam, Samos Iunonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. [10] Sic per populos atque regiones varia **sacra** suscepta sunt, dum grati homines esse in suos principes cupiunt et quod alios honores quos vita carentibus **deferant** invenire non possunt.

[11] Praeterea pietas eorum qui successerant plurimum contulit ad errorem : qui ut divina stirpe nati viderentur, divinos honores parentibus detulerunt deferrique iusserunt. [12] An potest aliquis dubitare quomodo religiones deorum sint institutae, cum apud **Maronem** legat Aeneae verba socii imperantis :

Nunc **pateras libate** Iovi precibusque vocate  
**Anchisem** genitorem.

Cui non tantum immortalitatem, verum etiam ventorum tribuit potestatem :

Poscamus ventos, atque haec me sacra quotannis  
Urbe **velit** posita templis sibi ferre **dicatis**.

[13] Idem scilicet de Iove Liber et Pan et Mercurius et Apollo fecerunt ac postea de his ipsis successores eorum. Accesserunt etiam poetae et, compositis ad voluptatem carminibus, in caelum eos sustulerunt, sicut faciunt qui apud reges etiam malos panegyricis **mendacibus** adulantur.

[14] Quod malum a Graecis ortum est, quorum levitas, instructa dicendi facultate et copia, incredibile est quantas **mendaciorum nebulas** excitaverit. Itaque admirati eos et susceperunt primi sacra illorum et universis gentibus tradiderunt.

## Divinisation de César et de Romulus [I, XV, 29-33]

[29] Apud Romanos deus Iulius, quia hoc scelerato homini placuit **Antonio**, deus **Quirinus** quia hoc pastoribus **visum** est, cum alter **gemi** fratris **extiterit**, alter patriae parricida. [30] Quod si consul non fuisset Antonius, C. Caesar pro suis in rempublicam meritis etiam defuncti hominis honore caruisset, et quidem consilio Pisonis **soceri** et Lucii Caesaris propinqui, qui vetabant funus fieri, et Dolabellae consulis, qui columnam in foro, id est tumulum eius, evertit ac forum **expiavit**. [31] Nam Romulum desiderio suis fuisse declarat Ennius, apud quem populus amissum regem dolens haec loquitur :

O Romule, Romule **die**,

Qualem te patriae custodem dii genuerunt !

Tu produxisti nos intra luminis oras,

O pater, o genitor, o **sanguen dis oriundum** !

[32] Ob hoc desiderium facilius creditum est **Iulio Procuro** mentienti, qui subornatus a **patribus** est ut nuntiaret plebi vidisse se regem humano habitu augustiorem eumque **mandasse** ad populum ut sibi **delubrum** fieret, se deum esse et Quirinum vocari. [33] Quo facto et ipsi populo persuasit Romulum ad deos abiisse et senatum suspicione caedis **regiae** liberavit.



Romulus trace le sillon des murailles de Rome (**Romulus et Rémus**, Sergio Corbucci, 1961)

# Institutiones divines, livre 1

## Lactance

### Textes de la séance 4

#### La foule des dieux [I, XVI, 4-8]

[4] Illi qui poetas finxisse de diis fabulas opinantur, deas feminas et esse credunt et colunt : **revolvuntur** imprudentes ad id quod negaverant, coire **illos** ac **parere**. [5] Nec enim fieri potest **quin** duo sexus generandi causa sint instituti. **Recepta** vero sexuum diversitate, non intellegunt consequens esse ut concipiant : quod in deum cadere non potest, sed isti putant : nam et Iovis esse filios dicunt et ceterorum deorum. [6] Nascuntur ergo et quotidie quidem dii novi : nec enim vincuntur ab hominibus fecunditate. Igitur deorum innumerabilium plena sunt omnia, nullo scilicet moriente. [7] Nam cum hominum **vis** incredibilis, numerus sit inaestimabilis, quos tamen sicuti nascuntur mori necesse est, quid deorum esse tandem putemus qui tot saeculis nati sunt immortalesque manserunt ? [8] Cur ergo tam pauci coluntur ?

#### Les faiblesses de Jupiter [I, XI, 1-23]

[1] Quis est igitur tam **excors** qui hunc in caelo regnare putet qui ne in terra quidem debuit ? Non **insulse** quidam poeta triumphum Cupidinis scripsit : quo in libro non modo potentissimum deorum Cupidinem, sed etiam victorem facit. [2] Enumeratis enim amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis **dicionem**que venissent, instruit **pompam**, in qua Iupiter cum ceteris diis ante currum triumphantis ducitur **catenatus**. Eleganter id quidem a poeta figuratum, sed tamen non multum distat a vero. [3] Qui enim virtutis est **expers**, qui a cupiditate ac libidinibus malis vincitur, non Cupidini, ut ille finxit, sed morti subiectus est sempiternae.

[4] Sed omittamus de moribus dicere, rem consideremus, ut intellegant homines in quibus miseri versentur erroribus. [5] Regnare in caelo Iovem vulgus existimat ; id et doctis pariter et indoctis persuasum est, quod et religio ipsa et preces et hymni et **delubra** et

simulacra demonstrant. [6] Eundem tamen Saturno et Rhea genitum confitentur. Quomodo potest deus videri aut credi, ut ait **poeta**, "hominum rerumque repertor", ante cuius ortum infinita hominum milia fuerunt, eorum scilicet qui Saturno regnante vixerunt et priores luce quam Iupiter sunt **potiti**. [7] Video alium deum regem fuisse primis temporibus, alium consequentibus. Potest ergo fieri ut alius sit postea futurus. Si enim regnum prius mutatum est, cur desperemus etiam posterius posse mutari? Nisi forte Saturnus generare potuit fortiorem, Iupiter non potest. [8] **Atqui** divinum imperium aut semper immutabile est, aut, si est mutabile [...], semper utique mutabile est. - Potest ergo Iupiter regnum amittere, sicut pater eius amisit? [9] - Ita plane. Nam cum idem neque virginibus, neque **maritatis** unquam pepercisset, abstinuit se tamen una **Thetide**, quod responsum fuit maiorem patre suo futurum quisquis ex illa natus esset. [10] Et primum imprudentia in eo non dei, cui nisi **Themis** futura dixisset, ipse nesciret. Si autem divinus non sit, ne deus quidem sit, unde ipsa divinitas nominatur, ut ab homine humanitas; [11] deinde conscientia imbecillitatis, qui timuit utique maiorem. Quod qui facit, scit profecto non esse se "**Maximum**", **quandoquidem** potest aliquid maius existere. [...] [15] In una itaque sola fuit continentior, cum eam **deperiret**, non virtute aliqua, sed metu successoris. [16] Quae formido utique eius est qui sit et mortalis et imbecillus et **nihili**, quippe qui potuit et tunc cum nasceretur extingui, sicut frater eius ante genitus extinctus est, qui, si vivere potuisset, numquam minori concessisset imperium. [...]



Danaé à Sérifos avec Persée bébé ( **Le Choc des Titans**, Desmond Davis, 1981)

[18] **Danaen** violaturus aureos nummos largiter in sinum eius infudit. Haec **stupri merces** fuit. At poetae, qui quasi de deo loquebantur, ne auctoritatem creditae maiestatis **infringerent**, finxerunt ipsum in aureo imbre **delapsum** eadem figura qua "imbres ferreos" dicunt, cum multitudinem telorum sagittarumque describunt. [19] Rapuisse dicitur in aquila **Catamitum** : poeticus color est. Sed aut per legionem rapuit cuius insigne aquila est, aut navis in qua est impositus **tutelam** habuit in aquila figuratam, sicut taurum, cum rapuit et transvexit **Europam**. [20] Eodem modo convertisse in bovem traditur **Io** Inachi filiam, quae ut iram Iunonis effugeret, ut erat "iam **saetis obsita**, iam bos", **tranasse** dicitur mare in Aegyptumque venisse atque ibi, recepta pristina specie, dea facta quae nunc Isis vocatur. [21] Quo igitur argumento probari potest nec Europam in tauro sedisse nec Io factam bovem? Quod certus dies habetur in fastis, quo "Isidis navigium" celebratur : quae res docet non tranasse illam, sed navigasse. [22] Igitur qui sapere sibi videntur, quia intellegunt vivum terrenumque corpus in caelo esse non posse, totam Ganymedeam fabulam pro falso repudiant ac sentiunt in terra id esse factum, quia res ac libido ipsa terrena est. [23] Non ergo ipsas res gestas finxerunt poetae ; quod si facerent, essent vanissimi ; sed rebus gestis addiderunt quemdam colorem. Non enim **obtrectantes** illa dicebant, sed ornare cupientes.

### **Misères et turpitudes des dieux** [I, XVII, 6-14]

[6] Consideremus, si placet, aerumnas infelicitum deorum. **Isis** filium perdidit, **Ceres** filiam ; expulsa et per orbem terrae iactata, **Latona** vix insulam parvam, in qua **pareret**, invenit. [7] **Deum Mater** et amavit formosum adolescentem, et eundem cum **paelice** deprehensum, exsectis virilibus, semivirum reddidit et ideo nunc sacra eius a **Gallis** sacerdotibus celebrantur. Iuno paelices acerrime persecuta est, quia parere ipsa non potuit ex **fratre**. [8] "Insulam Samum, scribit **Varro**, prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleverit ibique etiam Iovi nupserit. Itaque nobilissimum et antiquissimum templum eius est Sami et **simulacrum** in habitu nubentis figuratum et sacra eius anniversaria nuptiarum ritu celebrantur." Si ergo adolevit, si virgo fuit primo, postea mulier, hominem fuisse qui non intellegit, pecudem se fatetur. [9] Quid loquar obscenitatem Veneris omnium libidinibus prostitutae non deorum tantum sed et hominum? Haec enim ex famoso Martis stupro genuit Harmoniam, ex Mercurio Hermaphroditum, qui est natus androgynus, ex Iove Cupidinem, ex Anchise Aeneam, ex Bute Erycen ; ex **Adonio** quidem nullum potuit, quod etiamtum puer ab apro ictus occisus



est. [10] Quae prima, ut in *Historia Sacra* continetur, artem **meretriciam** instituit **auctor**que mulieribus in Cypro fuit uti **vulgo** corpore **quaestum** facerent : quod idcirco imperavit ne sola praeter alias mulieres impudica et virorum appetens videretur. [11] Etiamne habet haec aliquid numinis, cuius plura numerantur adulteria quam **partus** ?



Vénus et Mars (**Curiosa Pandora**, Claude Aubert, 2014)

Sed ne illae quidem virgines **illibatam** castitatem servare potuerunt. Unde enim putemus **Erichthonium** esse natum ? An ex terra, ut poetae videri volunt ? At res ipsa clamat. [12] Nam cum Vulcanus diis arma fecisset eique Iuppiter optionem dedisset praemii quod vellet postulandi, iurassetque, ut solebat, per infernam paludem se nihil negaturum, tum faber **claudus** Minervae nuptias postulavit. [13] Hic Iuppiter Optimus Maximus tanta religione **constrictus abnuere** non potuit, Minervam tamen monuit repugnare pudicitiamque defendere. Tum in illa **colluctatione** Vulcanum in terram profudisse aiunt semen, unde sit Erichthonius natus, idque illi nomen impositum ἀπὸ τῆς ἔριδος, καὶ χθονὸς, id est ex certamine atque humo. [14] Cur igitur virgo eum puerum cum **dracone** conclusum et obsignatum tribus virginibus Cecropidis commendavit ? Evidens, ut opinor, incestum, quod nullo modo possit **colorari**.

# Institutions divines, livre 1

## Lactance

### Textes de la séance 5

#### Hercule, Scipion et Poutine : des dieux ? [I, XVIII, 1-17]

[1] Hoc loco **refellendi** sunt etiam ii qui deos ex hominibus esse factos non tantum fatentur, sed, ut eos laudent, etiam gloriantur, aut **virtutis** gratia, ut Herculem, aut **munerum**, ut Cererem ac Liberum, aut artium repertarum, ut **Aesculapium** ac **Minervam**. [...]



Hercule et Ulysse (**Les Travaux d'Hercule**, Pietro Francisci, 1958)

[3] Virtutem esse dicunt quae hominem tollat in caelum, non illam de qua philosophi disserunt, quae posita est in bonis animi, sed hanc corporalem quae dicitur fortitudo : quae quoniam praecipua in Hercule fuit, immortalitatem meruisse creditur. [4] Quis tam stulte ineptus est ut corporis vires divinum vel etiam humanum bonum iudicet, cum sint et

maiores pecudibus attributae et uno morbo saepe frangantur vel ipsa senectute minuantur et corruant ? [5] Itaque idem ille cum deformari ulceribus **toros** suos cerneret, nec sanari se voluit nec senem fieri, ne **quando** se ipso minor aut deformior videretur. [6] Hunc e **rogo** quo vivum se ipse combusserat ascendisse in caelum putaverunt eaque ipsa quae stultissime admirati sunt simulacris et imaginibus expressa et consecrata posuerunt, ut in perpetuum vanitatis eorum monimenta **perstarent** qui ob **necem** bestiarum deos fieri credidissent.

[7] Sed haec Graecorum fortasse culpa sit, qui res levissimas pro maximis semper habuerunt. [8] Quid nostri? Num sapientiores? Qui athleticam quidem virtutem contemnunt, quia nihil **obest**, sed regiam, quia late solet nocere, sic admirantur ut fortes et bellicosos duces in deorum **coetu** locari arbitrentur, nec esse ullam aliam ad immortalitatem viam quam exercitus ducere, aliena vastare, urbes delere, oppida excidere, liberos populos aut trucidare aut subicere servituti. [9] Videlicet quo plures homines **afflixerint**, spoliaverint, occiderint, eo se nobiliores et clariores putant et inanis gloriae specie capti sceleribus suis nomen virtutis imponunt. [10] Iam mallet ut a ferarum caedibus deos sibi fingerent quam immortalitatem tam **cruentam** probarent. Si quis unum hominem **iugulaverit**, pro **contaminato** ac **nefario** habetur nec ad terrenum hoc domicilium deorum admitti eum **fas** putant. Ille autem qui infinita hominum milia trucidaverit, **cruore** campos inundaverit, flumina **infecerit**, non modo in templum, sed etiam in caelum admittitur. [11] Apud Ennium sic loquitur **Africanus** :

”Si fas **endo plagas caelestum** ascendere cuiquam est,  
Mi soli caeli maxima porta patet.”

Scilicet quia magnam partem generis humani extinxit ac perdidit ! [12] O quantis in tenebris, Africane, **versatus** es, vel potius, o poeta, qui per caedes et sanguinem patere hominibus in caelum **ascensum** putaveris ! [13] Cui vanitati et Cicero adsensit : ”Est vero, inquit, Africane : nam et Herculi eadem ista porta patuit.” Tamquam ipse plane, cum id fieret, **ianitor** fuerit in caelo ! [14] Equidem statuere non possum dolendumne potius an ridendum putem, cum videam graves et doctos et, ut sibi videntur, sapientes viros in tam miserandis errorum fluctibus **volutari**. [15] Si haec est virtus quae nos immortales facit, mori quidem malim quam **exitio** esse quam plurimis. [16] Si aliter immortalitas parari non potest nisi per sanguinem, quid fiet, si omnes in concordiam consenserint ? Quod certe fieri poterit, si pernicioso et impio furore proiecto innocentes esse ac iusti velint. [17] Num igitur nemo erit caelo dignus ? Num peribit virtus, quia hominibus in homines

**saevire** non dabitur ? Sed isti qui **eversiones** urbium populorumque summam gloriam **computant**, otium publicum non ferent, rapiunt, saevient et **iniuriis insolenter illatis** humanae societatis foedus irrumpent ut habere hostem possint, quem sceleratius deleant quam **laccessierint**.

### **Pour quel mérite est-on divinisé ? [I, XVIII, 18-25]**

[18] Nomen deorum Cereri ac **Libero** traditio munerum fecit. Possum divinis docere litteris vinum atque fruges ante progeniem **Caeli** atque **Saturni** fuisse in usu hominum. Ab his sane inventa esse fingamus. [19] Num potest plus aut maius videri collegisse fruges hisque fractis panem facere docuisse aut uvas de vitibus lectas expressisse vinumque fecisse quam fruges ipsas aut vites generasse ac **protulisse** de terra ? [20] Reliquerit haec sane Deus humanis ingeniis **eruenta**, tamen fieri non potest **quin** ipsius sint omnia, qui et sapientiam tribuit homini ut inveniret et illa ipsa quae possent inveniri.

[21] Artes quoque suis inventoribus immortalitatem peperisse dicuntur, ut Aesculapio medicina, Vulcano **fabrica**. Colamus igitur et illos qui **fullonicam sutrinamque** docuerunt. Cur autem **figulinae** repertori honos non habetur ? An quia isti divites **vasa Samia** contemnunt ? [22] Sunt et aliae artes quarum repertores humanae vitae plurimum profuerunt : cur non et illis attributa sunt templa ? [23] - Sed nimirum Minerva est quae omnes reperit, ideoque illi **opifices supplicant**. - Ergo ab his **sordibus** Minerva ascendit in caelum ! [24] **Est vero cur** quisquam **derelinquat** eum qui terram cum animantibus, caelum cum astris et luminibus **exorsus est**, ut eam veneretur quae **telam** docuit ordiri ? [25] Quid ? ille qui vulnera in corporibus sanare docuit num potest esse **praestantior** quam qui corpora ipsa formavit, sentiendi ac vivendi **rationem** dedit, herbas denique ipsas et cetera quibus **medendi** ars constat excogitavit ac protulit ?

### **Les dieux romains [I, XX, 1-10]**

[1] Venio nunc ad proprias Romanorum religiones, quoniam de communibus dixi. Romuli nutrix, Lupa, honoribus est **affecta** divinis, et ferrem si animal ipsum fuisset cuius figuram gerit. [2] Auctor est **Livius** Larentinae esse **simulacrum** et quidem non corporis, sed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli uxor, et propter **vulgati** corporis **vilitatem**, "lupa" inter pastores, id est **meretrix**, **nuncupata** est - unde etiam lupanar dicitur-. [3] Exemplum scilicet Atheniensium in ea figuranda Romani secuti sunt, apud quos meretrix

quaedam nomine "**Leaena**" cum tyrannum occidisset, quia nefas erat simulacrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt cuius nomen gerebat. [4] Itaque ut illi monumentum ex nomine, sic isti ex professione fecerunt. Huius nomini etiam dies festus dicatus est et "**Larentinalia**" constituta.



La louve se penche sur Romulus et Rémus (**Romulus et Rémus**, Sergio Corbucci, 1961)

[5] Nec hanc solam Romani meretricem colunt, sed **Faulam** quoque, quam "Herculis **scortum** fuisse" **Verrius** scribit. Iam quanta ista immortalitas putanda est quam etiam meretrices assequuntur? [6] **Flora** cum magnas opes ex arte meretricia quaesivisset, populum scripsit haeredem certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo **faenore** suus natalis dies celebraretur **editione** ludorum, quos appellant "Floralia". [7] Quod quia senatui **flagitiosum** videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit ut **pudendae** rei quaedam dignitas adderetur. Deam finxerunt esse quae floribus **praesit** eamque oportere placari ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereque florescerent. [8] Eum **colorem** secutus in **Fastis** poeta, non ignobilem nympham fuisse narravit, quae sit "Chloris" vocitata eamque Zephyro nuptam quasi dotis loco id accepisse **muneris** a marito ut haberet omnium florum potestatem. [9] Honestae quidem ista dicuntur, sed inhoneste turpiterque creduntur; nec debent, cum veritas quaeritur, huiusmodi nos **velamenta decipere**. [10] Celebrantur ergo illi ludi **convenienter** memoriae meretricis cum omni lascivia. Nam praeter verborum licentiam, quibus obscenitas omnis effunditur, **exuuntur** etiam vestibus populo flagitante meretrices, quae tunc **mimarum** funguntur officio et in conspectu populi usque ad satietatem impudicorum **luminum** cum pudendis motibus detinentur.

# Institutions divines, livre 1

## Lactance

### Textes de la séance 6

#### Vénus Chauve et Jupiter Boulanger [I, XX, 27-33]

*En -390, des Gaulois déferlent sur l'Italie, écrasent les Romains au bord de l'Allia et, sans coup férir, occupent Rome à l'exception du Capitole, sur lequel les derniers défenseurs résistent farouchement malgré la disette. Pour décourager les assiégeants et faire croire qu'ils ont encore assez de nourriture, ils jettent des pains du haut de leur colline.*

[27] Urbe a Gallis occupata obsessi in Capitolio Romani cum ex mulierum capillis **tormenta** fecissent, aedem "Veneri **Calvae**" consecrarunt. [28] Non igitur intellegunt quam vanae sint religiones, **vel** ex eo ipso quod eas his ineptiis **cavillantur**. [29] A Lacedaemoniis fortasse didicerant deos sibi ex **eventis** fingere. Qui cum **Messenios** obsiderent et illi furtim **deceptis** obsessoribus egressi ad **diripiendam** Lacedaemonem cucurrissent, a Spartanis mulieribus **fusi fugatique** sunt. [30] Cognitis autem dolis hostium, Lacedaemonii sequebantur. His armatae mulieres obviam longius exierunt. Quae cum viros suos cernerent parare se ad pugnam, quod putarent Messenios esse, corpora sua nudaverunt. [31] At illi uxoribus cognitis et aspectu in **libidinem concitati**, sicuti erant armati permixti sunt, utique **promiscue** - nec enim **vacabat** discernere -, [32] sicut iuvenes ab isdem antea missi cum virginibus, ex quibus sunt **Partheniae** nati. Propter huius facti memoriam, aedem "Veneri Armatae" simulacrumque posuerunt : quod tametsi ex causa turpi venit, tamen honestius videtur Armatam Venerem consecrasse quam Calvam.

[33] Eodem tempore "Iovi" quoque "**Pistori**" ara posita est, quod eos in quiete monuisset ut ex omni frumento quod habebant panem facerent et in hostium castra iactarent : eoque facto soluta esset obsidio desperantibus Gallis inopia subigi posse Romanos.

## Les dieux ridicules [I, XX, 35-42]

[35] Quis non rideat "**Fornacem**" deam, vel potius doctos viros celebrandis **Fornacalibus operari** ? Quis cum audiat deam "**Mutam**" tenere risum queat ? [...] Quid praestare **colenti** potest quae loqui non potest ? [36] Colitur et "**Caca**", quae Herculi fecit indicium de **furto** boum, divinitatem consecuta quia prodidit fratrem, et "**Cunina**", quae infantes in **cunis** tuetur ac **fascinum** submovet, et "**Stercutus**", qui **stercorandi** agri rationem primus induxit, et "**Tutinus**", in cuius sinu **puđendo** nubentes **praesident** ut illarum pudicitiam prior deus **delibasse** videatur, et mille alia **portenta**, ut iam vaniores qui haec colenda **susceperint** quam Aegyptios esse dicamus, qui monstruosa et ridicula quaedam simulacra venerantur.

[37] Et haec tamen habent aliquam imaginem. **Quid qui** lapidem colunt informem atque **rudem** cui nomen est "**Terminus**" ? Hic est quem **pro** Iove Saturnus dicitur devorasse. Nec immerito illi honos tribuitur. [38] Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet atque in eo loco multorum deorum **sacella** essent, consuluit eos per auguria utrum Iovi **cederent**, et cedentibus ceteris solus Terminus mansit. Unde illum **poeta** "Capitoli immobile saxum" vocat. [39] Iam ex hoc ipso quam magnus Iuppiter invenitur, cui non cessit lapis, ea fortasse **fiducia** quod illum de paternis **faucibus** liberaverat. [...] [41] Et huic ergo publice supplicatur quasi custodi finium deo, qui non tantum lapis, sed etiam **stipes interdum** est. [42] Quid de iis dicam qui colunt talia, nisi ipsos potissimum lapides ac stipites esse ?

## Le phallus de l'âne [I, XXI, 25-30]

[25] Apud **Lampsacum Priapo litabilis** victima est **asellus**, cuius sacrificii **ratio** in **Fastis** haec redditur : cum dii omnes ad festum **Matris Magnae** convenissent epulisque satiati noctem lusibus ducerent, quievisse humi Vestam somnumque cepisse ; ibi Priapum somno eius ac pudicitiae **insidiatum**, sed illam **intempestivo** clamore aselli quo **Silenus** vehebatur **excitatam**, libidinem vero insidiatoris esse deceptam. [26] Hac de causa Lampsacenos asellum Priapo quasi in **ultionem mactare consuesse** [...]. [27] Quid turpius, quid flagitiosius quam si Vesta beneficio asini virgo est ? - **At poeta fabulam finxit**. - [28] Num ergo illud est verius quod referunt ii qui **Φαινόμενα** conscripserunt [...] asellos fuisse qui Liberum **patrem transvexerint**, cum annem transire non posset, quorum alteri hoc praemium dederit ut humana voce loqueretur ? Itaque inter eum Priapumque ortum esse certamen de **obsceni** magnitudine : Priapum

victum et iratum **interemisse** victorem. [29] Hoc vero multo magis ineptum est. - Sed poetis licet quidquid velint. - Non **excutio** tam **deforme** mysterium nec Priapum denudo, ne quid appareat risu dignum. - Finxerint haec sane poetae. - Sed necesse est alicuius maioris turpitudinis tegendae **gratia** ficta sint. [30] - Quae sit ergo quaeramus. - At ea profecto manifesta est. Nam sicut Lunae taurus mactatur, quia similia habet cornua, [...] ita in hoc quia magnitudo membri virilis enormis est, non potuit ei monstro aptior victima reperiri quam quae ipsum cui mactatur posset imitari.

### **Il faut maudire Hercule** [I, XXI, 31-36]

[31] Apud Lindum, quod est oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt, quorum a ceteris longe diversus est ritus, siquidem non **εὐφημία**, ut Graeci appellant, sed maledictis et execratione celebrantur, eaque pro violatis habent si **quando** inter solemnes ritus vel imprudenti alicui **exciderit** bonum verbum. [32] Cuius rei haec ratio redditur, si tamen ulla esse in rebus vanissimis potest. [33] Hercules, cum eo delatus esset famemque pateretur, **aratorem** quemdam aspexit **operantem** ab eoque petere coepit ut sibi unum bovem venderet. Enimvero ille negavit fieri posse, quia spes sua omnis **colendae** terrae duobus illis **iuvencis niteretur**. [34] Hercules solita violentia usus, quia unum accipere non potuit, utrumque **sustulit**. At ille infelix, cum boves suos **mactari** videret, **iniuriam** suam maledictis **ultus** est, quod homini eleganti et **urbano** gratissimum fuit. [35] Nam dum comitibus suis **epulas** apparat dumque **alienos** boves devorat, illum sibi amarissime **conviciantem** cum risu et **cachinnis** audiebat. [36] Sed postquam Herculi divinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit, a civibus ei ara posita est, quam de facto **βούζυγον** nominavit, ad quam duo iuncti boves immolarentur sicut illi quos abstulerat aratori, eumque ipsum sibi constituit sacerdotem ac praecepit ut iisdem maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur, quod **negaret** se umquam epulatum esse iucundius.

### **Numa Pompilius et Égérie** [I, XXII, 1-2]

[1] Harum vanitatum apud Romanos auctor et constitutor Sabinus ille rex fuit, qui maxime animos hominum **rudes** atque **imperitos** novis superstitionibus **implicavit**. Quod ut faceret aliqua cum auctoritate, simulavit cum dea Egeria nocturnos se habere congressus. [2] Erat quaedam spelunca **peropaca** in **nemore** Aricino, unde rivus perenni fonte **manabat**. Huc remotis **arbitris** se inferre consueverat, ut mentiri posset monitu deae conjugis ea **sacra** populo se tradere quae **acceptissima** diis essent.



## Les livres sibyllins [I, VI, 10-11]

(Lactance fait, au discours indirect, une liste des sibylles connues).

[...] [10] Septimam, Cumanam, [...] novem libros attulisse ad regem **Tarquinius Priscum**, ac pro eis trecentos **Philippeos** postulasse regemque aspernatum pretii magnitudinem derisisse mulieris insaniam : illam in conspectu regis tres **combussisse** ac pro reliquis idem pretium postulasse : Tarquinius multo magis mulierem insanire putasse. [11] Quae **denuo** tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseveraret, motum esse regem, ac **residuos** trecentis aureis emisse : quorum postea numerus sit auctus, Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus et Italicis et Graecis [...] **coacti** allatique sunt Romam **cujuscumque** Sibyllae nomine fuerunt.



Devant l'autre de la Sibylle de Cumes, un professeur traduit à ses étudiants une inscription retranscrivant la description que Virgile fait de la prophétesse (Énéide VI, 45-50)